

hendae studiosi, non sine grato animi sensu nobile et Patrioticum illud Regnicolarum desiderium intellexissent, ut erudita quaepiam Societas Culturam Nationalem pro scopo habens in gremio Regnorum horum coalescat. Hoc proinde fine nobilissimi praevii Instituti Protectione Excellentissimorum Dominorum L. B. Bani et Episcopi Zagrabiensis eatenus coram interpellatorum praepotentibus studiis commendata, atque per eosdem summos viros pro illustri gloriam decusque Nationis quavis oportunitate elevandi testato eorundem Zelo gratiose acceptata, praelaudatam Suam Excellentiam Banalem interpellarunt, quatenus habita utriusque adusque in scopum praemissum elaborati plani condigna ratione, illud in specie, quod pro singulari sua sapientia bonique publici promovendi studio sumtis etiam in adjutorium meritissimorum Patriae virorum Consiliis, approbandum esse duxerit, Altissimo Loco substernere, atque a Sua Majestate Sacratissima pro erigenda secundum submittendum planum Erudita Societate, Benignissimum Annutum Regium exoperari dignaretur, quo dein exoptatissima Augustissimi Principis Sanctione habita, universi Regnicolae medio cunctarum Regni Jurisdictionum conformiter edoceri, atque tam de Societatis ex benevolis Oblatis et Sociorum Symbolis conflando Fundo, quam et organisatione atque Statutis ejusdem via Excelsi Protectoratus Regiae Confirmationi substernendis mox congrua agi valeant.

#### Articulus Decimus Nonus.

*De meliori Professorum in Zagrabensi Directionis Scholarum Districtu Altissimo Loco sollicitata dotatione, petitisque nonnullis in objecto promovendae rei Litterariae necessariis altioribus ordinationibus.*

Directione Litteraria Districtus Zagrabensis et Regii Gymnasii Varasdiensis tenore Suorum Statibus et Ordinibus Regnicolariter Congregatis praesentatorum Recrussum deplorabilem in Scholis Gymnasialibus Institutioni Juventutis praepositorum Individuorum sortem vividissime ob oculos collocantibus, unaque ex ratione sublatarum novercantium Belli, communisque illius necessitatis, quae falcidiam in remuneratione officialium publicorum inevitabilem redderet circumstantiarum, fundamento item in dies crescentis, et signanter Zagrabiae incomparabiliter adacti cunctarum ad vitae necessitatem et commoditatem requisitarum rerum pretii, quo destinationi eorundem tanto melius et facilius satisfiat, cunctorum Salariorum Professoralium plenariam in moneta Conventionali absque 20 procentuali defalcatione exolutionem via humillimae ad Thronum Regium dirigendae supplicationis procurari expetentibus — justis Recurrentium rationibus gravissimisque hac in re suapte occurentibus argumentis ducti SS. et OO. praexpositae petitioni tanto magis deferendum esse rati sunt, cum felix vel adversus futurus Reipublicae Status ut plurimum a recta Juventutis educatione dependeat, quae animo praceptorum Litterariorum ob vitae culturaeque adminiculorum defectum in anxium curarum statum locato expectationi publicae ac sublimi suo scopo nequaquam respondere potest, — Quapropter Suam Majestatem Sacratissimam homagiali in devotione interpellandam esse decreverunt, quatenus eadem ex praeductis causarum et rationum Momentis, sumta quoque in condignam